





14  
1764 3, 183.  
3

DE  
FEVDIS FIDVCIARIIS

PRAESIDE  
GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS  
CONSISTORII ECCLESIASTICI AC SCABINATVS  
ASSESSORE ORDINIS IVRIDICI  
H. T. DECANO

DIE FEBRVAR. c1o 1o cc LXIV

IN AVDITORIO MAIORE

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

ADOLPHVS GVNTHERVS AB HAVGWITZ  
EQVES LVSATVS.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

FEVDIS FIDVICIARIS

FRASIBS

GEORGIO FRIDERICO  
R. V. S. I. O. B.

DIRECTOR INSTITUTI NOVI PROFESSORI  
PUBLICO GYMNASIO CIVITATIS QUINICIALIS  
COM. NOVI SOCIETATIS DE SCABINATIS  
ASSISTENTE IN PRAEFECTIO  
DECANO


DEI ANNO 1814

IN ANTHEORIO MAIORE

PUBLICAE DISSECT

AVCTOR

ADOLPHUS GYMNASII DE HAVGWITZ  
ROVES VASIVAS



NITMERSGHE

EX OFFICINA GRUESIANA



A  
SON EXCELLENCE  
MONSIEUR  
CHRETIEN COMTE  
DE LOSS


CHEVALIER DES ORDRES  
DE L'AIGLE BLANCHE ET DE ST. ANDRÉ  
MINISTRE DU CABINET D'ETAT  
ET DES CONFERENCES  
AU SERVICE DE SON ALTESSE ROYALE  
L'ELECTEUR DE SAXE.



A  
SON EXCELLENCE  
MONSIEUR  
CHRISTIEN COMTE  
DE LOSS  
CHEVALIER DES ORDRES  
DE L'EMPIRE Romain ET DE ST. ANDRÉ  
MINISTRE DU CABINET DU ROI  
ET DES CONFÉRENCES  
AU SERVICE DE SON ALTESSE ROYALE  
LE DUC DE SAXE.



MONSIEUR,

 i j'ai l'honneur de Vous présenter cet ouvrage, ce n'est pas l'usage établi parmi les Auteurs qui m'engage à mettre V<sup>ô</sup>tre nom à sa tête. En les imitant je craindrois trop de tomber avec la foule ; car l'ambition, la vanité, l'interêt, en un mot l'amour propre s'est glissé si souvent même dans les âmes les plus nobles, qu'on a tous les peines du monde d'ajouter foi aux empressements les plus innocentes.

Cependant, sans se laisser aller par ces foiblesses si ordinaires au genre humain, & sans s'avilir par des vûes indignes à tout homme d'honneur, on peut avoir des raisons très justes en de pit de la Critique la plus épineuse. Tels sont l'amitié, la reconnoissance, l'estime.

*Et voilà MONSIEUR le motif, qui m'enhardit, jusqu'à Vous offrir ces feuilles. N'ayant jamais eu l'honneur de Vous connoître, il est aisé à concevoir, que c'est l'estime toute seule, fondée sur des qualites & des vertus, qui me force à Vous temoigner avec la Saxe combien elle révère en Vous l'ami de la justice, le protecteur des lettres & le soutien du bonneur public; c'est elle enfin qui Vous assure de la plus grande considération avec laquelle j'ai l'honneur d'être*

**MONSIEUR**

**VOTRE**

*très humble & très obéissant serviteur*

**ADOLFE GONTIER DE HAUGWITZ.**







DE  
FEVDIS FIDVCIARIIS.

---

§. I.

ORIGÓ VOCIS FIDVCIAE.

**Q**uo antiquiora extant pactorum fiduciae uestigia penes  
uetustissimas gentes, et quo honestiorem eorum condi-  
tionem deprehendimus: eo magis ea merentur, ut  
omni adhibita opera eorum natura inuestigetur ac explicetur,  
quo clarius dignitatem illorum pariter ac usum cognoscamus.  
Praestantia itaque fiduciae permoti, nobiscum constituimus,  
in praesenti nonnulla de feudis fiduciariis edisserere. Ad sco-  
pum uero praestitutum priusquam accedamus, haut quidem  
abs re esse uideatur, pauca de notatione uocis fiduciae praemit-  
tere. Descendit ista uox a *fide*, quam CICERO eleganter di-  
xit, \*) *Fundamentum iustitiae, dictorum conuentorumque con-*  
*stantiam et ueritatem*, huius appellationis causam addens  
eam,

VIII DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

eam, *quia facit, quod dictum est.* A fidei uocabulo deducitur *fido*, quod credere, spem ponere, aut fidem habere significat, uti ex Senecae effato discimus, qui, nec secundis rebus nimis fidendum, nec aduersis diffidendum esse, monet. Unde porro deriuatur *fidus*, quod iuxta DONATVM in Terentium <sup>b)</sup> a fideli differt ita, ut illud amico, hoc uero seruo magis competat; illud in maximis, hoc in minoribus praefertim adhibeatur negotiis; hoc quisque iure suo etiam a seruis exigere possit, illud e contrario ad officia potissimum humanitatis pertineat. A uoce *fidus* denique proficiscitur *fiducia*, unde uel ex significato originis suae, colligere posses fiduciae fere semper aliquid honesti bonoque uiro digni inesse.

a) CICERO *de offic.* L. I. c. 7.

b) TERENT. *Phorm.* L. 2. 26. et *Heccyr.* L. 1. 2.

§. II.

VARIJ VOCIS FIDVCIAE APVD VETERES  
SIGNIFICATVS.

EXPOSITA uocis fiduciae origine, nunc quoque paucis dispiciemus, quo sensu prisca Romani hac uoce sint usi. Nobis tamen hic neuiquam sedet in animo, prolixum condere e scriptoribus ueteris Latii congestum indicem, omnium diuersarum uoculae fiduciae notionum; sed quasdam tantum memoratu digniores attingemus, praecipue, quae aliquid ad rem facere nostram uidentur. Initio quidem aequipollet *fidencia*, quae ex CICERONIS <sup>a)</sup> mente est *firma animi confisio*,

*fo, scientia quaedam, et opinio grauis, non temere assentiens.* Quem in modum etiam loquitur VELLEIVS, <sup>b)</sup> Pompeium, in-  
 quiens, *senatus auctoritas, Caesarem militum armauit fiducia.*  
 Eundem uocis sensum exhibet VALER. MAXIMVS <sup>c)</sup> multa fi-  
 duciae sui adducens exempla. Interdum quoque in malam,  
 sed rarius, accipitur partem, atque tum inuoluit *audaciam et*  
*impudentiam*, quo sensu usus est Pamphilus apud TERENCE-  
 VM, <sup>d)</sup> dum ait: *qua fiducia id facere audeam?* Quemadmo-  
 dum etiam nonnunquam *securitatem*, ex nimia rerum confidentia  
 aut animi quadam leuitate ortam, innuit nomen fiduciae; id  
 quod NEPOS in uita Pelopidae, cruento Tyrannorum exitu  
 comprobauit, qui seria negligentes, uino epulisque dediti,  
 interfecti sunt, ac morte sua palam fecerunt, *quantae calami-*  
*zari soleat esse nimia fiducia.* <sup>e)</sup> Praesertim quoque uox fi-  
 duciae ad eas res applicatur, quae, *pignoris* loco ac obliga-  
 tionis firmandae gratia, alteri traduntur, prouti CICERO lo-  
 quitur <sup>f)</sup> *pecuniam*, inquiens, *adolescuntulo, grandi favore,*  
*fiducia rament accepta, occupasti*, ubi nihil aliud indigitare  
 uidetur, nisi rem, aliis concreditam, ut de fide nostra in ser-  
 uandis promissis cauti esse possint. Quocirca ISIDORVS <sup>g)</sup> fi-  
 duciam describit, *cum res aliqua, sumendae pecuniae mutuae*  
*gratia, uel mancipatur, uel in iure ceditur.* Potissimum enim  
 fiducia dicitur, quando dominium ipsum rei, e.g. oppignorandae  
 in alterum transfertur, sed ea lege, ut aliquando, ueluti,  
 si debitum fuerit solutum, ad priorem redeat dominum. Hinc  
 fiducia quoque haut incongrue appellabitur, si quid ea lege  
 uendam, ut liceat mihi, cum possim aut uelim, redimere;  
 id quod Germani efferunt, *wiederkauflich verkaufen.* Quem  
 sensum

X DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

sensum in CICERONIS <sup>b)</sup> aliorumque scriptis, passim haut obscure deprehendimus.

a) CIC. *Tuscul. lib. V.*

b) VELLEI. PATERCVL. *lib. II. c. 49. §. 3.*

c) VALER. MAXIM. *lib. III. c. 7.*

d) TERENT. *Andr. III. 5. 7.*

e) NEPOS *Pelop. c. III. §. I.*

f) CICER. *pro Flacc. c. 21.*

g) ISIDORVS *Origin. lib. V. c. 25.*

h) CIC. *in Top. c. 10.*

§. III.

QVA NOTIONE HOC LOCO ACCIPIATVR  
VOX FIDVCIA.

**I**N scholis iurisconsultorum plerumque obtinere solet significatio uocis fiduciae, qua, pro rebus in quempiam iure alicuius dominii ita translatis, ut aliquando, siue illi, qui dedit, siue alii cuidam, restituantur, istudque dominium temporarium secundum legem contractus, aut ultimae uoluntatis, iterum resoluatur, accipitur. Quo sensu etiam dicimus *fiduciarium* et *fiduciale*, hoc est, id quod alterius fidei sub redimendi reddibendique pacto ceditur. Atque hoc in praesenti utemur uocis fiduciae significato, ueteris quoque Latii scriptoribus sat familiari, quem ad modum LIVIVS <sup>a)</sup> Corinthum urbem uelut fiduciarium datam, dixit, et HIRTVS <sup>b)</sup> regnum fiduciarium, hoc est, tale, quod in fiduciam alii est datum, ut illud regat, non tamen, ut perpetuo illo utatur tanquam proprio, sed ut istud suo tempore restituat.

tuat. Cuius uocis sensum quoque exprimit CVRTIVS. Narbazanes enim, qui cum Besso regnum affectaret, callido consilio Dario suasisit, ut auspiciam et imperium alii tradat *interim*, qui tandiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis, uictor deinde regnum Dario reddat; Quod imperium, compositis rebus iusto regi Dario restituendum, uocat *fiduciarium*.<sup>a)</sup> Ceterum ex descriptione ista fiduciae facile intelligitur, quod illa in eo sensu differat a pignore, quanquam interdum pro pignore ueniat. Etenim pignus quidem creditori in securitatem crediti traditur, sed ita, ut dominium maneat apud debitorem: fiducia uero in iure ceditur creditori, atque ita dominium transit. Differt quoque ab hypotheca, qua res creditori solum obligatur, sed possessio pariter ac dominium est et manet penes debitorem.

a) LIVIUS XXXII. 38. 1.

b) HIRTIVS de bello Alexandr. c. 23.

c) CVRTIVS L. V. c. 9. §. 8.

## §. IV.

EXEMPLA FIDVCIARVM EX IVRE ROMANO  
ADDVCVNTVR.

**I**n iure Romano, antiquiore pariter ac recentiore, uaria occurrunt fiduciarum exempla; ueluti in uetere filiorum familias emancipatione. Inter Romanos enim antiquitus obtinuisse constat, ut parens filium suum tanquam rem mancipi uendere potuerit, et hic ab emtore manumissus in patris reciderit potestatem, ac post tertiam demum uenditionem subsequutamque manumissionem a potestate patris liber fuerit, uti

XII DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

uel ex CAII *Institutionibus* <sup>a)</sup> discimus. Quae quidem uenditio ac manumissio initio uera erat, non imaginaria, in legibus duodecim tabularum, quarum uerba recitauit VLPIANVS <sup>b)</sup> fundata, sequentibus tamen temporibus, monente eodem Caio, illa tantum aliquam similitudinem uenditionis retinuit, atque in emancipationibus praeter certum patrem alius pater adhibitus est, qui ideo *fiduciarius* nominabatur, quia tertiae mancipationi pactum addebatur fiduciae, ut scilicet emtor remanciparet filium patri uenditori, quo deinceps ab hoc manumitti posset, nec ius patronatus extraneo manumissori acquireretur. Praeter ea priscis quoque Romanis alia complura fiduciae pacta frequentiore in usu fuisse, legum auctoritate munita, ex IULII PAULI *sententiarum receptorum libris* edocemur, qui libro secundo integrum Titulum IV. de commodato deposito, pignore, *fiduciae* tractauit, quam rem deinde Titulo XIII. *De Lege commissoria* fusius persecutus est. Sic debitor, creditori securitatem praestiturus, praedium uel aliam rem eidem mancipare, uel in iure cedere solebat, sub pacto fiduciae, ut sibi soluto debito renanciperetur. Quod si tamen debitor soluendo nimis tardus erat, fiducia post trinum denunciationem a creditore pro iusto pretio uendi poterat, ita, ut superfluum pecuniae debitori, distractis fiduciis, restituendum esset, ac, si tardius restitueretur, ex mora creditorem usuras praestare oportuerit, cui tamen, si quidem opera, suisque sumptibus, meliorem reddiderat fiduciam, ea, quae impenderat, deducere licebat, at e contrario creditor ipse fiduciam ne quidem per tertium siue suppositam personam emere poterat. <sup>c)</sup> Testamentarias de fiduciis dispositiones, credi-

creditori quidem, non item debitori permissas, praetereo, <sup>d)</sup> ne ab instituto nimis digrediar. Nec etiam de *fiduciariis hereditariis*, quae fidei heredis ita a testatore committuntur, ut alii cuidam restituantur, <sup>e)</sup> copiose differere attinet, quarum quippe natura in omnibus Pandectarum commentariis atque compendiis exponi solet. <sup>f)</sup> Sic *fiduciaria* quoque *tutela*, quae post patris emancipantis mortem liberis eius masculis perfectae aetatis deferrebat penes Romanos, in emancipatum impuberem, ex ipsis Imperatoris Iustiniani primis iuris elementis adeo nota est, ut ulteriore illius explicatione omnino actum agere uideremur. Quare lectorem ad ipsas Iustiniani Institutiones, earundemque Interpretes, <sup>g)</sup> merito remittimus.

a) CAII Instit. Lib. I. Tit. VI. ext. in SCHVLTINGII *Iurisprudencia Vet. Ane-Iustiniana*.

b) VLPPIANVS *fragment. tit. X.* qui ibid. inueniri potest.

c) IULII PAULI *Sententiar. Recept. L. II. tit. XIII. §. 1. seq.*

d) Conf. SCHVLTINGII *Iurisprud. Ane-Iustiniana p. 372. ad Pauli Lib. III. tit. VI. §. 69. de legatis.*

e) L. 9. ff. *de rebus creditis.*

f) Conf. HEINECCII *Elementa Iuris civil. sec. ord. Pandectarum P. II. Tit. VI. §. 75. seqq. 211. et P. V. lib. XXXVI. Tit. I. §. 220. p. 80. et alibi.*

g) *Instit. lib. I. Tit. 19. de fiduciaria tutela, adde HEINECCII Elementa iuris civil. sec. ord. Instit. §. CCXXXVII. seq.*

## §. V.

## DEFINITIO FEVDI FIDVCIARII.

**E**XPOSITIS illustratisque iis, quae generatim ad intelligendam uocem fiduciae pertinere uisa sunt, iam propius ad

ipsam feudorum fiduciariorum tractationem accedamus. Quemadmodum uero feudum in genere, uel rem in feudum datam significat, uel pactum de feudo concedendo, quod rectius contractus audit, uel ius, quod in re feudali aut Domino aut Vasallo competit, <sup>a)</sup> sicuti quoque fiducia in ueteri iure Romano mox pro contractu, unde nascebatur actio fiduciae, mox pro ipsa re fiduciae data, <sup>b)</sup> mox pro iure in re fiduciaria competente, usurpata occurrit: ita idem quoque ad feudi fiduciarium uocem erit applicandum. *Feudum uero fiduciarium, si uocem pro iure in re feudali competente sumamus est dominium utile, sub fidelitatis lege ita concessum, ut ali. quando domino concedenti a Vasallo restituatur.* Vnde quidem statim intelligitur hanc feudi speciem cuncta Feudi retinere substantialia requisita. Sic personae in feudo fiduciario constituendo concurrentes, peraeque ut in feudorum speciebus aliis sunt Vasallus ac Dominus feudi directus. Vnde nemo ambiger, hoc loco omnia ualitura esse, quae generatim de personis concedentibus et acquirentibus feudum copiose exponere solent iuris clientelaris interpretes. Qui enim in genere contractum feudalem inire ualet, ille quoque procul dubio fiduciarium feudi erit capax. Similiter, quae ad feudi naturalia referuntur, in dubio fiduciarium quoque insunt feudo. Hinc regulariter iuramentum fidelitatis etiam a Vasallo feudum fiduciarium obtinente praestandum est, nec modi differunt, quibus feudum amittitur, ut feloniam fieri solet. Accedunt tamen nonnulla, quae in aliis feudis non semper reperiuntur, de quibus deinceps paulo curatius dispiciemus.



- a) HORNII *Iurisprud. Feudal. Longobardico - Alemannica. Cap. II. §. 7.*  
 b) SCHVLTINGII *Iurisprud. Ante-Iustiniana. p. 282.*

## §. VI.

## FEVDI FIDVCIARII NATVRA COMMVNIS.

NATVRAM feudorum fiduciae inquirentes, sedulo seiungere oportet, quae naturam fiduciae constituunt propriam ab iis, quae omnibus aut plerisque feudis sunt communia, aut tantum ut accidentia sunt consideranda. Habere autem feudum fiduciarium cum aliis feudis quam plurima communia iam ex antecedente paragrapho animaduerti potest, quorsum etiam merito referenda est inuestitura, utpote quo actu solemniter Dominium utile Vasallo confertur. Sicuti uero inuestitura uel propria est, uel abusua, <sup>a)</sup> ita neutra species a fiduciaris feudis est aliena. Nec etiam expectatiuam illa penitus respuunt: quamuis ordinarie huiusmodi feuda esse soleant actu possessa, non expectatiua. Instrumenta quoque siue literas inuestiturae, quas Germanice *Lehnbriefe* uocare solemus, fiduciaris Vasallis non esse denegandas, haut quisquam ambiget. Et cum Vasallis ordinarie non liceat alienare feudum, quo modo fiat, siue uenditione, siue donatione, siue permutatione, siue aliter: <sup>b)</sup> difficilior adhuc uidetur alienationis fiduciaris feudi concessio, ne dominus directus spe restitutionis excidat.

<sup>a)</sup> HORNII *Iurisprud. feud. c. XII. §. III.*

<sup>b)</sup> HORNII *l. c. Cap. XIX. §. 2.*

## §. VII.

## §. VII.

## SPECIALIOR FEVDI FIDVCIARII NATVRA

QVAENAM fiduciae propriae sint dicenda, ex definitione potissimum feudi fiduciarii, quam supra suppeditauimus, facile colligi poterit. Ac primum quidem hoc expeditum est, feudum fiduciarium esse e genere impropriorum feudorum; siquidem non ad omnes primi acquirentis descendentes in perpetuum transit, imo ne certam quidem semper spem habet Vasallus, quod eiusmodi feudum, ad uitae usque exitum sit possessurus, quanquam in reliquis, conuentione non mutatis naturam feudi sequatur proprii. Vnde quoque recte HORNIVS monet<sup>n)</sup> *quod feudum fiduciarium eatenus improprium sit, quatenus nullam perpetuitatem intendat.* Cum etiam fiduciarium feudum ea lege sit concessum, ut concedenti restituatur, exinde porro sequitur, istud regulariter esse nouum ac ita comparatum, ut propter hanc ipsam restitutionis legem rarius antiquum fieri soleat, ideoque feudorum ueterum ut plurimum careat iuribus. Esse quoque fiduciarium feudum ex numero acquisitorum, et temporariorum, quum, uti iam diximus, ne quidem semper ad dies uitae penes Vasallum maneat, sed plerumque per aliquod breuius tempus ab eo possideatur, per se patet, ac simul sua sponte exinde fluit, illud haut raro pro nontransitorio esse reputandum. Praecipue autem feudis fiduciariis propriam esse restitutionis necessitatem, ipsa statim fiduciae notio suggerit. Hinc enim pactum fiduciae antiquitus *Redda*, *Redditio*, atque *Redditus*, et feuda fiduciaria,

duciaria, *redhibilia*, uel *reddibilia* et *receptibilia* <sup>1)</sup> uocabantur. Germanis audiunt *Lehne* auf *Leue*. Exempla istiusmodi feudorum passim occurrunt: ita commemorat GUNDLINGIVS, <sup>2)</sup> quod Henricus VII. Amadeo Comiti Sabaudiae in feudum dederit Asti, sed reuocabiliter, hac adiecta conditione, ut istud reddat, si uel Henricus, uel successores eius, ipsi 100 000 imperiales soluissent. Ceterum caueamus, ne cum feudo oblato confundamus fiduciarium, de quo nobis hic sermo est; ibi enim praedium siue res, quam Dominus Vasallo in feudum dat, antea ad Dominum a Vasallo translata fuit, sub conditione, ut in feudum detur tradenti; <sup>3)</sup> hic uero Dominus, qui antea feudi possessor fuit, praedium tradit Vasallo, ut sibi aliquando restituatur, ac dominium utile, existente casu per pactum definito, resoluatur;

a) HORNII *Iurisprud. feud. c. IV. §. 12.*

b) SCHILTERI *Commentarius ad Ius feud. Alemann. c. XCVII. §. 1. p. 369.*

c) Gundlings *Erläuterung über Schilters Instir. I. F. c. IX. §. 26. p. 346.*

d) HORNIVS *l. c. c. IV. §. 13. Gundling l. c. c. IV. §. 2.*

### §. VIII.

#### FEVDI FIDUCIARII ACCIDENTIA.

**A**D accidentia feudi fiduciarii eas referimus qualitates, quae huiusmodi feudi essentiam haut ingrediuntur, nec naturaliter insunt, sed extrinsecus, ut plurimum speciali contrahentium conuentione, quae quippe in aestimanda indole cuiuslibet feudi utramque fere paginam facit, superaccedunt. Quod rem in feudum datam spectat, an sit secularis, an ecclesiastica, perinde est; nec natura feudi fiduciarii mutatur siue sit nobile praedium, siue ignobile. Porro a uoluntate libera paciscentium pen-

C

der,



XVIII DE FEVDIS FIDUCIARIIS.

det, an Vasallus iureiurando fidelitatem promittere teneatur, ut ordinarie fieri solet, an uero is sine iuramento ad feudum admittendus sit. Ex qua etiam proficiscitur, num feudum istud, quod in fiduciam datur, a seruitiis naturalibus liberum, seu francum, an iis obnoxium esse debeat. Quod si Vasallo incumbit, ut seruitia praester, rursus ex pactis conuentis erit aestimandum, qualia esse debeant, num, quae natura feudorum communis poscit, eaque aut omnia, aut ex iis aliqua duntaxat, an uero alia ac noua. Sic quoque, qua feudi fiduciarii acquisitionem, nihil interesse putamus, siue praecesserit aliquis contractus principalis, ex quo Dominus debitor Vasalli iam exiit, siue minus; quamuis hac in re a nobis dissentire primo obtutu uideatur HORNIVS,<sup>ad</sup> acutissimus iuris feudalis doctor, qui absentiam praecedentis alicuius contractus principalis adeo necessariam putauit, ut eam quoque differentiam specificam feudi fiduciarii, qua hoc a pignoratitio atque emittitio discerni possit, constituerit. Verba eius haec sunt: *Porro non confundendum est cum feudo pignoratitio, uti nec cum emittitio, illa feudi species, quam ex iure Germanico et quidem Alemannico c. XCVII. et Saxonico art. XXIX. et LV. Du. Schilt. Comment. ad art. XCVII. Iur. Alem. eruit, ubi SINE praecedente contractu aliquo principali feudum ita datur, et per investituram conceditur, ut statuto tempore pro certa summa, uel alia re, uel etiam absque ea, restituarur. Vocant hoc feudum fiduciarium.* Attamen Hornium nobis uere non esse contrarium, facile intelligitur, si modo hoc cogitemus, quod is non de omnibus feudis fiduciariis, uerum de ea saltem specie, quam Schilterus exposuit, eo in loco

loco tractauerit. Nec etiam magis GVNDLINGIVM, non ultimum feudorum scrutatorem, <sup>b)</sup> qui fiduciarium feudum a pignore infeudato in eo differre statuit, *quod non requirat contractum aliquem praecedentem, principalem et accessorium, sed solum pactum de restituendo feudo ad Domini reuocationem*, nobis aduersum esse, palam est, quandoquidem is hoc saltem negat, quod ad feudi fiduciarii substantiam contractus praecedens alius, praeter ipsum feudalem contractum, non sit absolutae necessitatis, nequaquam uero illud contendit, quod cum istiusmodi feudorum essentia consistere non possit praecedens quidam contractus, quo Vasalli factus est debitor Dominus directus. Porro quod ad feudi fiduciarii restitutionem spectat, mere accidentale est, num ista fieri debeat gratis, an pro aliquo pretio, quippe quod unice a pactis desuper iniis dependet. Vnde quoque HORNIVS loco supra memorato notanter ita feudum fiduciarium dari dixit, *ut statuto tempore pro certa summa, uel alia re, uel etiam absque ea, restituatur*. Si enim conuenerint inuicem, ut pretio quodam redimatur feudum; tunc omnino incumbit Domino, ut, feudum reuocans, stet promissis; sin autem de gratuita restitutione contraxerint, nihil amplius opus est, quam ut conditio aut tempus determinetur, quo restitutio fieri debeat. Tandem et id accidentibus annumeramus, quod SCHVLTINGIVS <sup>c)</sup> de tempore fixo et termino, respectu debitoris, peremptorio refert, atque ipsi definitioni fiduciae immiscet: *Fiducia, inquit, est pignus, quod creditori mancipatur, aut in iure ceditur, ea lege, ut soluta ad diem pecunia remancipetur, non soluta, creditori pleno iure committatur, id est, lege commissoria*. Quae omnino recte sese ha-



bent, si ambo, creditor et debitor, sub hac conditione confenserint, adeoque iterum res omnis redit ad pactum, nec ex essentia aut natura fiduciae fuit, quod res statâ diè non redempta pleno iurè committatur creditori, alias enim iuxta §. V. eiusdem tituli <sup>d)</sup> creditori non opus esset, ut tandem post trinam denuntiationem fiduciam uenderet, cum uel sine denuntiatione, non soluente ad diem debitore, res ipsi fieret propria. Lex itaque commissoria, sine praeuio mutuo consensu, huc non pertinet. Imo uero iura recentiora Romana legem isthanc commissoriam in pignoratitiis passionibus penitus improbasse constat, <sup>e)</sup> id quod praxis quoque hodierna seruat.

a) HORNIVS in *Iurisprud. feud. c. IV. §. 12. p. 73.*

b) GÜNDLINGIVS über Schilters *Instit. I. F. c. IX. §. 26. p. 346.*

c) SCHVLTINGII *Iurisprud. Aene - Iustiniana ad Pauli lib. II. Tit. XIII. p. 282.*

d) SCHVLTINGIVS *ibid. p. 282.*

e) *V. L. ult. C. de pactis pignor.*

## §. IX.

### SCHILTERI FEVDVM FIDVCIARIVM EX IVRE ALEMANNICO ERVTVM.

**N**ATURAM fiduciarium feudi inuestigare tentauit SCHILTERVS, <sup>a)</sup> qui ex Iure Alemannico aliquam speciem eiusdem eruit, atque definit per istiusmodi beneficium, quod ita datum et concessum per inuestituram, ut statuto tempore pro certa summa, uel alia re, restituatur feudum et utile dominium domino. Exempli loco adducit, quod in Testamento Caroli Ducis Lotharingiae de anno 1424 castellum de Bullenstein, tale

tale feudum habeatur, et *Rendouble et Receptable au duc* appelletur. Simul etiam Carolum du Fresne laudat, qui ex tabulis anni 1340 allegat: *concessit in feudum antiquum et reddibile* etc. item ex Chron. Merensi: *Feodum de Marimont cum appendiciis suis reddibile acquisiuit.* Sed angustiozem esse SCHILTERI definitionem, ex superiore Spho facile pater, cum feudi fiduciarii indoles non absolute postulet, ut aliquid pro restitutione feudi a Domino praestetur. Interim memorabilia omnino sunt, quae de natura istius speciei feudi fiduciarii, quam ex ueteri iure Alemannico protulit, obseruauit SCHILTERVS ex cap. XCVII. iuris feudalis Alemannici. Primum scilicet, quod nulla adsit ex parte Domini obligatio reluendi huiusmodi feudi statuto tempore, adeoque ad eius redemptionem a Vasallo cogi non possit; idque his uerbis citati capituli comprobatur: *Der Herr mag das güt lössen, ob er wil, er mag es auch lössen mit recht, wenne ist nüt rechtes by.* Alter casus mortem respicit Vasalli. Hoc scilicet defuncto tale feudum apertum, sine oblato heredibus pretio, Dominus recipere potest, atque in arbitrio domini est positum, num id de nouo heredibus eodem sub pacto concedere uelit, nec ne, iuxta uerba: *Wil der Herre, er behaltett sine truwe derane, vnd lösetz es umb die Erben. Das ist davon das es echt lehn ist luterlich vnd nit anders.* Tertius denique casus existit mortuo Domino, quando Vasallus inuestiturae renouationem a Domino heredibus petit. Vbi SCHILTERVS contendit, in feudum esse arbitrio positum, utrum uelint renouare inuestituram una cum pacto fiduciario; an istam denegare, et oblatione facta feudum recipere malint. Quam suam sententiam ex iure

XXII DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

quoque Saxonico <sup>b)</sup> illustrat, eiusque genuinum sensum contra Glossam germanicam et textum recentiore, a Zobelio exhibitum, dicto loco uindicat.

a) SCHILTERI Commentarius ad Ius Feud. alemannicum c. XCVII. p. 369.

b) Ius Saxonic. c. XXIX.

§. X.

FEVDVM RETROVENDITIONIS EXEMPLVM  
EST FEVDI FIDVCIARII.

**F**EV DVM retrovenditionis praecipuam aliquam speciem fiduciariorum constituere feudorum existimamus. Hoc igitur describimus, quod sit feudum fiduciarium per interuenientem emtionis uenditionis contractum ea lege acquisitum, ut Domino directo, reddenti aliquando pretium, restituatur. Germani uocant ein wiederkäufflich Lehn. Quod autem feudum retrovenditionis ad fiduciaria pertineat, ex eo palam est, quoniam de illo restituendo fidem suam dedit Vasallus Domino pretium reddituro. Originarie est feudum emtitium, sed hac lege comparatum, ut Domino directo eius a Vasallo reluendi potestas pacto sit concessa. Tale autem retrovenditionis feudum a plerisque aliis feudorum generibus tam qua acquisitionem, quam qua durationem quodammodo differt. Concessio enim feudi, iuxta II. Feud. 23. ordinarie est gratuita, sed in feudo emtitio dominus directus pro pretio confert dominium utile Vasallo, quo ipso hoc emtitium ab emto feudo, ubi Vasallus alicui feudum uendit, discernitur. Vnde quoque multi dubitarunt, an feudum emtitium recte dici possit beneficium?



ficium? Neque tamen ista acquisitio, interueniente pecunia facta, efficit, ut omne feudum emitium improprium sit existimandum, neque etiam omnino negari poterit, quod Dominus Vasallum in suam recipiens clientelam, huic, ipso hoc facto, uti bene obseruauit STRVVIVS, <sup>4)</sup> aliquod exhibeat beneficium; quo circa HORNIVS quoque beneuolentiam subesse monet <sup>5)</sup> quod me potius, quam alium Dominus uelit habere Vasallum; uel in feudo emto, quod nouum Vasallum admittat, eumque de re, quae ad ipsum rediit, nouiter inuestiat; nec male dici posse existimat, pecuniam pro feudo emitio datam remunerandi uel honoris causa interuenisse. Differre etiam feudum retrouenditionis diximus a reliquis plerisque ratione durationis. Cum enim alia feuda ordinarie tamdiu manent penes Vasalli familiam, quamdiu descendentes ad successionem feudalem habiles sunt superstites: tum e contrario retrouenditionis feudum uel ipso Vasallo adhuc uiuo, uel post mortem eius, contra communem feudorum naturam, pretio restituto, reuocari potest, huiusque intuitu improprium recte dicitur. <sup>6)</sup> Huiusmodi quoque sub pacto reluendi seu retrouendendi acquisitum, a feudo pignoratitio differre, egregie docuit STRYKIVS, <sup>7)</sup> quanquam huic adeo affine est, ut plane simillimum dicatur. Virumque enim temporarium est, et neutrum gratis restituitur. At tamen qualis differentia inter uenditionem et pignus intercedit, talis quoque est inter feudum emitium cum pacto reluendi uenditum, et inter pignoratitium. Hic pignoris obligatio accessoria subest; illic principalis saltem contractus: hic debitum; illic nullum; hic dissoluto feudo superesse potest et pignus et principale debitum;

XXIV DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

bitum; ibi retrouenditione soluitur omne negotium, ut alia plura taceam discrimina.

a) STRVVI *Syntagma Iur. Feud. c. IV. Aph. XV. §. 2. p. 136.*

b) HORNIVS *Iurisprud. Feud. c. II. §. 12.*

c) HORNIVS *l. c. c. IV. §. 8. p. 70.*

d) STRYKIVS *Dissert. de Feudo pignoratitio §. XI. seqq.*

§. XI.

QVAESTIO SINGVLARIS DE PRETIO RELVITIONIS,  
NUM AD VASALLI SVCCESORES FEVDALES, AN  
ALLODIALES PERTINEAT?

QVAMVIS autem retrouenditionis feuda, ratione durationis, impropria sint, hoc tamen non ambigendum, quod ea ceteroquin, quatenus pactis nihil mutatum est, feudorum propriorum retineant naturam, ideoque ad feminas, nisi aliud sit in lege inuestiturae cautum, haud transeant. Quando uero tale feudum, post mortem emtoris pretio statuto reluitur a domino, tum haud raro moueri controuersia solet, num pecunia ista ad filias etiam, et alios heredes allodiales uasalli pertineat, an ad solos filios, ac successores tantum feudales? quod ultimum affirmat HORNIVS,<sup>a)</sup> CARPZOVIVS aliique, ea de causa, quod, cum restitutionis necessitas ad solos masculos pertineat, pretium etiam iisdem solis regulariter relinquendum sit, quod pro onere restitutionis soluitur. A quibus uero alii complures, quorum aliquos nominat STRVVIUS,<sup>b)</sup> dissentiunt, pecuniam, ex redemptione acceptam, omnibus heredibus, masculis aequae ac feminis, assignantes.



tes. Recte tamen STRVVIVM <sup>c)</sup> asseruisse putamus, hanc esse quaestionem uoluntatis, et hinc ex ipso contractu decidendam, ex eoque colligendum, quo animo ac intentione quis feudum cum tali pacto comparauerit. Si enim feudum tanquam proprium est emtum, ita ut successio ad solos filios horumque heredes pertineat, in dubio pretium quoque, quod in reluendo feudo soluitur, iis solum modo competet: sin autem hac lege tale feudum sit comparatum, ut successio ad feminas, coniugem, filias etc. transeat; nec illis iusta pars pretii, quod ex redemptione feudi uenit, deneganda esse uideatur: uel si emtor feudi expresse pactus fuerit, ut pretium retrouenditionis heredibus suis allodialibus debeat exsolui, quo casu ad hos merito pertinebit ea pecunia, cum successores feudales non possint plus iuris sibi arrogare, quam ex intentione ac uoluntate feudum constituentium iis quaesitum est. Interdum euenire quoque solet, ut emtor inuestitus adhuc uiuus feudum restituerit, pretiumque receperit, uel nondum inuestitus decesserit; utroque hoc casu pretium, tanquam res allodialis transit, sicuti et ius utendi fruendi tantum iure crediti, quod defunctus, nondum de feudo inuestitus, habuit, ad omnes heredes deuoluitur. <sup>d)</sup>

a) HORNII *Iurisprud. Feud. c. IV. §. 8.*

b) STRVVII *Syntagma I. F. c. IV. aph. XV. §. 4. p. 137.*

c) IDEM *loc. cit.*

d) HORNII *l. c. p. 71.*

## §. XII.

## FEVDVM PIGNORATITIVM EST FIDVCIARIVM.

**A**D argumentum, quod tractamus, illustrandum porro quoque pertinet feudum pignoratitium, quippe quod est species feudi fiduciarii, ubi Dominus obligatus, in securitatem debiti, non modo rem pignori dat, verum simul etiam eandem rem creditori in feudum concedit, eumque inuestit, reservata reluendi facultate. Causa, cur pignoratitium fiduciaris feudis annumeremus, in promptu ac prorsus eadem est, quae feudum retrovenditionis fiduciarium efficit, videlicet fides, quam vassallus de re restituenda dedit, quando Dominus debitum soluerit. Quam ob rem, quia temporarium est, perinde ut feudum retrovenditionis pro proprio est habendum. Etiam ratione modi acquirendi a natura feudorum paulum recedere videtur STRYKIO <sup>a)</sup> istud feudum pignoratitium, ob interuentum pecuniae et indigentiae, quia scilicet haec inopia domini expresserit inuestituram, non vero animo beneficii alicuius Vassallo exhibendi feudum sit collatum. Haec tamen non impedire, quo minus feudum quoque pignoratitium certo modo beneficium sit dicendum, iam ex iis, quae supra §. X. disputavi, intelligitur. Originem istiusmodi feudi incertissimam esse, statuit MARECHIVS, <sup>b)</sup> ita, ut nec tempus, quo introductum sit, nec gens, apud quam primum inualuerit, nominari possit, ac proinde, num Alemannis, an Saxonibus, an Longobardis, inuen-

inuentorum horum feudorum gloria vindicanda sit, definiri haud queat. Haec tamen feuda antiquae originis esse, loci in iure Alemannico et Saxonico extantes, quorum adhuc in sequentibus mentio fiet, satis testantur. Ceterum, quod pignoratitium feudum cum feudo retroventionis confundendum non sit, iam in §. X. monitum est. Nec etiam ea, quae de natura feudi fiduciarii supra adduximus, et ad pignoratitium feudum applicanda sunt, hoc loco repetere haud uacat. Hoc saltem addo, quod a Germanis feudum Pignoratitium Pfand-Lehen, Gelihen Sazung, Lehens-Sazung uocari solet; quandoquidem uox Sazung idem, quod Besetzung siue Pignus, denotat.

a) STRYKIVS in *dissert. de feudo pignoratitio c. l. §. V. quae inuenitur in IENICHENII Thesauro Tom. III.*

b) MARBACHII *diff. §. 2. ibidem in IENICHENII Thesauro T. III. p. 156.*

## §. XIII.

EXISTENTIA FEVDI PIGNORATITII LIBERATVRE  
A DVBIIS QVIBVSDAM SIEGELII.

**N**E uero fortassis quibusdam uideamur uerba facere de re omnis fundamenti atque utilitatis experte occurrendum erit dubiis nonnullis, quae idcirco mouit IOH. GOTTLIEB SIEGELIVS <sup>a)</sup>. ICtus quondam Lipsiensis, tam feudi pignoratitii existentiam, quam usum penitus negans. Rem uero is ita tractat, ut partim iuris analogiam feudis pignoratitiis refragari

## XXVIII DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

contendat, partim uero textus iuris, e quibus feuda ista deriuare solent, huc pertinere inficietur, eosque aliter interpretari allaboret. Ac primum quidem faretur, quod ante ipsum nemo interpretum fuerit feudaliū, qui de existentia feudi pignoratitii dubitanerit. Nominat Schilterum, Titium, Hornium, Hunnium, Göddaeum, Struuium, Kruppiū, Strykiū, Marbachium, qui istud feudi genus commentationibus suis illustrare tentauerint. Sed dissentium auctorum, in decidendis quaestionibus de feudis istiusmodi occurrentibus, ueluti, num in iure Longobardico eorum extent uestigia, num feminae succedere possint, num alienare ea liceat, nec ne, et quae eius generis aliae sunt controuersiae, pro indicio malae causae habet; cum hic ista feuda in iure Longobardico fundamentum inuenire affirmer, ille neget; unus successionem feminarum admittat, alter uero remoueat, nec quod ad potestatem alienandi omnes conspirent. At enim uero elumbe hocce argumentum esse, nec solum interpretum dissentium ipsam feudi pignoratitii existentiam destruere posse, uel me non monente quilibet animaduertit. Deinde §. VI. rem ipsam aggreditur Siegelius, ac VLPIANO<sup>b)</sup> et PAVLLO<sup>c)</sup> denunciat testimonium, qui *rei propriae pignus consistere, ac pignus perseverare posse, negarunt, domino constituto creditore.* Exinde sua sponte promanare existimat, quod, cum Vafallo competat Dominium feudi utile, ideoque feudam rem ipsius propriam constituat, pignus creditori in feudum dari nequeat. Quod si tamen perpendamus, in Vafallum non plenum feudi dominium transire, sed

sed particulam saltem quandam proprietatis penes illum esse, facili negotio intelligetur, feudum non absolute uasalli proprium dici posse. Etenim dominus directus adhuc est et manet certo modo dominus feudi, quamuis dominium utile Vasallo usque ad tempus restitutionis cesserit. Itaque hoc, de quo iam disputamus, pignus, non in re, pleno iure Vasalli propria, sed pro parte aliena, nempe Domini directi, constituitur. Porro Siegelius in septimo §. usque ad undecimum id praestare studet, ut textus illi iuris feudalis Longobardici, ad quos in hoc argumento ut plurimum prouocari solet, <sup>d)</sup> de feudo pignoratitio intelligendi haud sint. Verum opus non erit, ut de eruendo genuino istorum textuum sensu hic multum simus solliciti. Sit enim, occurrat nullum prorsus in Longobardico iure feudi pignoratitii uestigium: Nam quaeso omne feudum fundamento penitus destitutum putabimus, de quo, an Longobardis in usu fuerit, dubitatur? Hoc uero Siegelio nequaquam concesserim, quod is ex I. Feud. 27. probare contendit, nimirum propter pecuniam interuenientem feudum pignoratitium uerum esse feudum non posse, quia uidelicet ibi dicatur, quod feudum non sub praetextu pecuniae, sed amore et honore domini acquirendum sit. Si enim haecce uerba tam late accipienda essent, nec feudum emittium, utpote similiter pecunia interueniente constitutum, uerum foret feudum, quod tamen ipse Siegelius ueris annumerare feudis non dubitauit. <sup>e)</sup> Rectius monet STRVVIUS, <sup>f)</sup> isthaec uerba textus non generatim acquisitionem feudi pro pecunia prohibere, sed saltem ad



improbandum pactum commissorium, debitori quippe cap-  
 tiosum, pertinere. Et quamuis illud quoque euincere con-  
 tur Siegelius, nec iura feudalia Alemannica, neque Saxonica,  
 praesidium aliquod afferre feudis pignoratitiis: contrarium  
 tamen ex *Cap. LV. Iuris Feudalis Saxonici*, quod §. XI. re-  
 censet, hauri obscure patescit. Equidem negat aduersarius  
 noster, ex isto capite colligi posse, quod, in specie ibi pro-  
 posita, ius pignoris simul in inuestitum vassallum transferit;  
 at enim uero uerba capituli: *So mag es auch der Herr wieder  
 lösen und an sich bringen*, cet. illud clare satis innunt: quid  
 enim opus foret aliqua reuocatione, nisi in Vassallum ius ali-  
 quod pignoris fuisset translatum. Ceterum grauitur con-  
 trariari nobis putabitur *Cap. XCVIII. iuris feudalis Ale-  
 mannici*, quod Siegelius in §. XIII. suae dissert. urget, in  
 quo haec uerba expressa habentur: *Geliehet Sagung ist  
 weder Lehen noch Sagung*; quod tamen non immerito ita  
 interpretatur SCHILTERVS <sup>d)</sup> quod scilicet pignorati-  
 tium feudum neque merum sit feudum, neque pi-  
 gnus merum, sed res ex utroque mixta. Forfitan et  
 iam ex iure feudali Saxonico cap. LV. iam citato, uerbis:  
*ein verlegt Guth mag niemant zu rechten Lehen leihen*, lux  
 quaedam affandi poterit, si textum interpretemur, quod  
 pignus iure feudi regularis seu proprii concedi non possit.  
 Certe illud ipsum, quod causatur Siegelius, cur pignorati-  
 tium feudum in iure Alemannico feudum esse negetur, quia  
 scilicet contra naturam feudi sit, rem ad tempus habere,  
 nihil aliud euincit, nisi ut pignoratitium feudum non possit  
 pro



pro specie haberi feudi proprii; Etenim feudam etiam re-  
trouendiionis ad tempus tantum durat: quod nihilominus  
pro feudo uero, licet improprio, is ipse agnoscit.<sup>b)</sup>

a) SIEGELIVS *Dissert. de feudo pignoratitio re fundamenti et utilitatis egena,*  
habita Lipsiae MDCCXLII. inuenitur ista Dissert. in IEMICHENI  
*Theaur. Iur. Feud. Tom. III. p. 170. seqq.*

b) L. 45. pr. D. de reg. iur.

c) L. 30. in fin. D. de except. rei indicatae.

d) v. g. I. F. 4. §. 4. I. Feud. II. I. Feud. 27. I. Feud. 78.

e) SIEGELIVS *in princip. iuris feud. Cap. I. §. XXXIII.*

f) STRVVI *Synagoga Iuris Feud. p. 137.*

g) SCHILTERVS *in Comment. ad ius feudale Alemann. cap. C.*

h) SIEGELIVS *princ. iur. feud. cap. I. §. XXXVIII.*

## §. XIV.

### VTILITAS FEVDI PIGNORATITII CONTRA SIEGELIVM VINDICATVR.

VTILITATEM feudi pignoratitii ut destruat Siegelius, de-  
monstrare laborat, iura quaedam feudi plane applicari  
non posse ad pignoratitium, quaedam ex natura pignoris fluere.  
Enim uero uix opus erit, ut omnia, quae is a §. XVII. usque  
ad finem dissertationis suae eo consilio congescit, ut fidem fa-  
ceret asserto suo, inuestituram scilicet feudalem pignori acce-  
dentem actum esse frustraneum, sigillatim, ac per partes eun-  
do, confutentur, cum sponte sua corrumpant conclusiones labrico  
super-

superstructae principio. Ita uidelicet rationes subducit Siegelius: Feudum pignoratitium est accessorium, in securitatem debiti principalis constitutum: cum ergo IUSTINIANVS <sup>o)</sup> expresse negauerit, plus in accessorio esse posse, quam in re principali; exinde necessario fluere existimat, quod omnia iura feudi, quae ad maiorem debiti securitatem nihil faciunt, in feudo pignoratitio penitus exulare oporteat. At enim uero nequaquam ista Iustiniani regula uniuersalis est, et in ipsa adeo specie, ad quam regulam hancce accommodauit imperator, quodammodo fallit, si quidem nemo dubitat, quin fideiussor efficacius, quam principalis obligari possit debitor. <sup>o)</sup> Deinde quoque illud gratis dari sibi postulat aduersarius in feudo pignoratitio constituendo unicum illum intendi finem, ut magis in securo sit creditum. Imo uero qui praeter ius pignoris huiusmodi feudum concedit creditori suo, duplicem sibi propositum habet finem, alterum quidem, quo magis ut IUSTINIANVS <sup>o)</sup> ait, pecunia ei credatur; alterum uero, ut durante credito, uasallum habeat, qui fidem et alia ex nexu feudali oriunda exhibeat munia: quem ad modum etiam ex parte talis Vasalli duplex apparet finis, alter, quo magis ei in tuto sit creditum, alter, ut iuribus Vasalli fruatur. Quamuis igitur illud liberaliter concedere possimus Siegelio, quod pleraque iura illa Vasallorum, quae is §. XVII. sequi commemorat, parum aut nihil ad securitatem crediti atineant, iis tamen, quem ad modum adhuc in sequenti §pho nostrae dissertationis dicendi locus erit, merito fruatur

fruetur istiusmodi creditor, idque hanc ipsam ob causam, quia non merus creditor pignoratitius est, uerum simul etiam uasallitica sese fide obstrinxit.

a) §. V. Institur. de fideiusor.

b) vid. STRYKIVS in usu Pand. mod. Lib. XLVI. Tit. I. §. IX.

c) §. 4. I. quibus mod. re contrahitur obligatio.

## §. XV.

## NATURA FEVDI PIGNORATITII.

**R**ESTAT ut de natura pariter ac accidentibus feudi pignoratitii nunc paucis dispiciamus. Referendum autem illud ad feuda impropria, ob restitutionis necessitatem dissoluto nexu pignoris, quemadmodum e contrario durante adhuc debito principali, mortuo licet Vafallo absque successore feudali, omnibus eius heredibus allodialibus ius retentionis ac pignoris saluum manet, donec solutum sit debitum. Cum feudo enim pignoratitio coniunctam esse pignoris obligationem allodiam, in securitatem crediti constitutam, ex iis, quae in superioribus paragraphis disputata sunt, iam ad intelligendum satis est. Quin imo ipsa feudi pignoratitii notio nos commonefacit, tria concurrere negotia. Videlicet

E

pri-

## XXXIV DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

primum requiritur, ut inter dominum directum et Vasallum aliquod debitum sit contractum. Deinde, ut Dominus in feudo ius pignoris constituerit vasallo illi, ac tandem, ut contractus nexusque feudalis vere accesserit. <sup>a)</sup> Personas tale feudum tam conferentes, quam acquirentes, satis descripsit STRYKIUS, <sup>b)</sup> ut non uideatur necessum, aliquid addere. Rem quoque, quod attinet, quae feudi pignoratitii nomine traditur, esse debere concedentis propriam, uix opus erit, ut moneam, siquidam per se pater, quod ordinarie nec in aliena re pignus efficaciter constitui, nec, quod quis ipse non habet dominium, in alium queat proprio nomine transferre. Hoc uero non praetereundum, quod, cum alii sint effectus pignoris, alii uero feudi, utriusque, quatenus simul consistere possunt, in feudo pignoratitio locum habeant; sic regulariter seruitia Domino a Vasallo praestanda sunt de feudo pignoratitio, quia natura feudi communis id exigit, quamuis de pignore nemo seruiat. Sic porro Vasallus omnibus utitur fructibus, eosque percipiendo suos facit, imo etiam emolumenta feudi pignoratitii extraordinaria, u. g. thesaurum, iure sibi uindicat. Immo etiam est a praestatione cautionis pro expensis, quia  
iure

iure alienius dominii possidet, et quae sunt reliqua nudo creditori pignoratitio denegata iura. Nec feudum pignoratitium a reliquis, quae iura amissionis, regulariter differt, ideoque per feloniam iure suo feudi excidit istiusmodi uasallus, pignoris tamen effectum adhuc durante. Similiter et praescriptio XXX. annorum hic locum inueniet, adeo quidem, ut illa tam acquiri, quam etiam amitti ius feudi pignoratitii possit; quae tamen in feudis pignoratitiis acquirendis obseruante MARBACHIO, <sup>1)</sup> hoc singulare habet, quod illa non procedat, nisi quis eandem rem pro pignore et feudo simul possideat. Ex iure pignoris uero hoc consequens est, ut domino in restituendo debito moroso existente, uasallus, obseruatis iis, quae ad legitimam pignoris distractionem iura requirunt, pignoratitium feudum alienare queat; et sicuti iura legem commissoriam in pignore improbant: ita eandem quoque feudis, de quibus iam sermo est, addi non posse, ex iis apparet, quae fuse explicat BITSCHIVS. <sup>2)</sup> Ceterum obiter adhuc notamus, quod feudum quoque *oppignoratium* interdum abusue dicatur pignoratitium, <sup>3)</sup> quod utrumque tamen maxime inter se differt. Feudum enim oppignoratium dicitur, quod uasallus tertio



XXXVI DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

pignori dat, adeoque nulla interueniente inuestitura. <sup>f)</sup> In-  
tuitu feudi pignoratitii autem uasallus cum domino contra-  
hit, et ab eodem inuestitur. Hoc igitur est feudum et pi-  
gnus simul; illud solum modo ius pignoris mere allo-  
diale.

a) MARBACHII *Dissert. de feudo pignoratitio §. IV. habetur in IENICHE-  
NII Thesaur. cit. Tom. III. p. 156. seqq.*

b) STRYKII *Dissert. de feudo pignoratitio c. II. quae extat in eodem IENI-  
CHENII Thesauro Tom. III. p. 110.*

c) MARBACH l. c. §. XIII.

d) BITSCHII *Commentar. in consuetud. Feudor. lib. I. ad Tit. XXVII  
p. 204.*

e) STRAVII *Syntagm. iur. Feud. c. IV. aph. XIV. p. 135.*

f) STRYKIVS l. c. cap. V. §. 5.

§. XVI.

FEVDI PIGNORATITII ACCIDENTIA.

QVAE feudi pignoratitii accidentia spectant, ueluti quod  
sit a seruitiis liberum, seu francum, nobile, seculare,  
ecclesiasticum, et sic porro, ex iis facile suppleri poterunt,  
quae iam supra de feudis fiduciariis generatim dicta sunt.  
Haec tamen non praetermittenda est quaestio, an feudum  
pignoratitium in perpetuum constitui possit? Cuiusmodi  
pactum

pactum STRYKIVS <sup>1)</sup> ex Befoldo recitat. Sed recte is per-  
 petuitatem absolutam, utpote cum natura pignoris pugnan-  
 tem, negat, restrictam uero merito concedit, ut puta, si ta-  
 li forsitan modo feudum pignoratitium concedatur, <sup>2)</sup> ut,  
 quam diu linea creditoris masculina non defecerit, feudum  
 istud redimi non debeat. Agitata quoque est controuersia,  
 num feminae in feudum pignoratitium succedant? Nos  
 quidem statuimus, in feudo pignoratitio feminarum succes-  
 sionem regulariter esse nullam. Qua tamen in re a nobis  
 dissentit CARPZOVIVS, <sup>3)</sup> alique plures interpretes feuda-  
 lium iurium haud incelebres. Sed res nostra est in saluo.  
 Si enim luculenter constat, quod feminarum successionem  
 intenderit Dominus et Vasallus contrahens, eam non dene-  
 gamus sexui sequiori: sin minus, subsistendum in regula  
 iurium clientelarium, quae coniugem, filias, aliasque femi-  
 nas, tanquam personas ordinarie haud capaces feudi, a suc-  
 cessione feudali arceat. Qua in re nobiscum consentiunt  
 HORNIVS, <sup>4)</sup> STRYKIVS, <sup>5)</sup> MARBACHIVS <sup>6)</sup> alique feu-  
 dalium legum explanatores. Interim successionem in ius  
 pignoris feminis nequaquam negamus; ideoque, si uasal-  
 lus moriatur sine heredibus masculis, fundum quidem, ut



XXXVIII DE FEVDIS FIDVCIARIIS.

iam supra dictum, retinere possunt feminae, donec solvatur debitum: *ſ*) ius enim retentionis ad omnes heredes allodiales transit, sed in feudum ipsum succedere nequeunt. Atque haec de feudis fiduciariis sufficiant, quoniam iam praeter opinionem excrevit in istas paginas commentatio. Sicque huic labori nostro imponimus finem.

a) STRYKIVS *l. c.* §. XX. c. II.

b) CARPZOVIVS *P. III. Constit. 28. definit. 10. in fin.*

c) HORNIVS *in Iurisprud. Feudal. c. IV. §. XI.*

d) STRYKIVS *Dissert. citat. c. III. §. XI.*

e) MARBACH *l. c.* §. IV.

f) LÜNIGII *Corp. Iur. Feud. Germ. T. II. p. 619.*





## ERRATA.

- Pag. X.      lin. 19. resoluatur;
- XII.      - 15. commodato, et Deposito pignore,
- ibid.      - 16. Titolo XIII. *de Lege commissoria*
- - 19. remancipatur.
- - 26. licebat;
- XIII.      - 23. *tutela*;
- - 24. CCXXXVII. *segg.*
- XXI.      - 1. au Duc
- - 16. *mit*
- XXVII.      - 21. *experte*,
- XXVIII.      - 5. *dubitauerit.*
- XXXIV.      - 9. *liquidem*
- XXXVII.      - 12. *constet*,



ULB Halle

3


003 770 109



*50*







B.I.G.

Farbkarte #13

*Handwritten text on the book's spine, partially obscured by the color chart.*

14

1764 3, 183.

3

DE  
**FEVDIS FIDVCIARIIS**

PRAESIDE  
**GEORGIO FRIDERICO  
KRAVSIO D**

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS  
CONSISTORII ECCLESIASTICI AC SCABINATVS  
ASSESSORE ORDINIS IVRIDICI  
H. T. DECANO

DIE FEBRVAR. c19 19 cc LXIV

**IN AVDITORIO MAIORE**

PVBLICE DISSERTET

AVCTOR

**ADOLPHVS GVNTHERVS AB HAUGWITZ**  
EQVES LVSATVS.



VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

